

Ant. Saer. d. 70*

Prolusio

De Luna Poetarum



qua

Examen Publicum

in Schola Gubenensi

a. d. XXV Septembr. MDCCXCIV,

instituendum

indicit

Guilielmus Richter

Conrector.

Pförtenae

Litteris Brückneri:

iqu. Graec.

2 58,55.

Dum Jon. Esartor Patri imp. sig. d. M. V. h.

Dresden
Den 1ten Junij 1775

P. H. H.

Examen
in Schola Gubenensi
a. d. MDCCLXXV
Inhibendum
Indicibus
Gottlieb Wilhelm Ziegler
Conceptor

P. H. H.
Inhibendum



Ex quo maiori linguæ vernaculæ cultu gaudere, & poetarum variis operibus non contemnendis gloriari cœpit Germania nostra: siue, ut verius dicam, ex quo lingua nostra poetarum potissimum ope excoli atque ruditatem amittere cœpit pristinam, cupido, nescio quæ, inuasit poetas tantum non omnes, lunam potissimum carminibus suis intexendi, eiusque laudes uno quasi ore celebrandi. In quorum quidem carminum numero multa esse, quæ plurimis virtutibus careant, nec legi quidem mereantur, nemo, credo, negabit aut mirabitur, qui ingenia hominum admodum esse diuersa, & paucissimos hominum ad hæc factos esse, cogitet. Interim tamen causa quædam mihi semper adfuisse visa est, cur in tanta tamque varia rerum, quas vniuersum hoc continet, copia, tam multi ad lunam sese dediderint depingendam. Atque hic quidem considerandum videtur, poetarum imprimis esse, ut carminibus delectentur. Iam vero plurimi hominum ita comparati esse videntur, ut iis potissimum delectentur, quæ sunt suauia, quæ tranquillo quasi flumine procedunt, sicque animis nostris sese insinuant, & lectorem dulcedine quadam deliniunt *). Quid autem

A 2

*) Sunt, qui iis potius delectentur, quæ terrorem incutiunt, & vehementiori quodam motu animum abripiunt. Sed hos pauciores esse dixerim.

4

autem omnium eorum, quæ larga manu conspicua nobis reddidit natura, magis ad hæc accommodatum esse potest, aut quid magis poetam huius generis materiem, in qua exornanda vires suas periclitetur, quaerentem, inuitare cum spe felicitis successus potest, quam luna splendens & omnibus mortalibus ita conspicua, ut quasi in sublimi loco constituta ideo se conspiciendam exhibere videatur, ut nos suaviter delectet, delectatos autem ad intimos animi sensus, sui conspectu excitatos, arte quadam declarandos adducat? De cuius rei veritate cum mihi persuasum sit, veterum poetarum amore quodam ductus neque ingratum & omni iucunditate carens, neque inutile negotium suscepturus mihi videbar, si paulo accuratius in veterum carmina inquirerem, & quantum auctoritatis apud eos habuisse, quantumque incitas eorum vates ad canendum videatur luna, pro virium mearum modulo ostendere conarer, addita sub finem brevis disquisitione, quomodo recentiores in ea re versati sint tractanda. In hac autem disputatione neminem puto esse expectaturum longam & omnibus numeris absolutam disquisitionem omnium, quæcunque in lunam veterum poetarum cadunt, aut de ea villo modo dici possunt. Neque tamen hac re negligentiae aut leuitatis crimen incurram, quasi consilii mei immemor, quæ cum puluisculo essent excutienda, obiter tantum tetigerim. Etenim de ratione, qua poetæ veteres lunam carminibus suis intexuerint, disputaturo facile intelligitur, non nisi id esse agendum, ut æstheticam, quam dicunt, rationem ostendat adhibitam, & aliis leuiter tantum tactis, quos in usus, & qua occasione eius imaginem putarint ad delectandum efficacissimam, fusius exponat. Quare nihil iam dicatur de variis mythis ad Lunam Deam pertinentibus

tibus, nihil de imagine eius in nummis antiquis exhibita *). Atque hæc quidem his finibus circumscripta disputatio ut ordine sese commendet, age primum dispiciamus, quibus carminum generibus Lunam celebrauerint, & qua potissimum occasione maxime efficacem putarint eius imaginem carminibus intextam poetæ veteres; deinde comparatione inter veterum & recentiorum imagines instituta, quinam in ea depingenda præcelluerint, ostendamus.

Ac primum quidem non potest non statim sese offerre id carminum genus, quod hymnorum insigniri solet nomine. Rarissimi sunt cantus illi, qui circa Lunæ Deæ laudes versantur, & qui ad nostra vsque tempora peruenerunt, quorum unus numero accensetur eorum, qui Homero vulgo tribuuntur **). Deinde etiam in Orphicis istis Onomacrito vulgo adscriptis Lunæ Deæ laudes celebrari constat. Multum de eorum auctore cer-

A 3

tatum

*) Eodem modo silentio erunt prætereunda, quæ Manetho Astrologus de luna eiusque motu & varia in terram nostram vi, aliisque, poemate quidem, at longe alio consilio adhibito, exposuit. Ceterum de Luna in antiquis nummis conspicua docte disputauit Spanhem. ad Call. H. in Dian. 111, 118; & Raschius in Lex. numismat. T. III. f. v. *Luna*. Curru vectam adiuncto Hespero auriga Deam fictam esse ab antiquitate, vel e commentario Spanhemii modo laud. apparet. Hinc *χρυσάσματος Μήνα* apud Pindar. Ol. III. 35, & alibi. De alis Lunæ a Dorvillio (ad Charit. p. 373. ed. Lips.) vindicatis & asertis fusius differit Dœring. vir pia mente mihi colendus, in comment. *de imaginibus veterum alatis*. Sic *Μήνη ταυσιπτερος* ab initio hymni in Lunam Homericæ. Omnino autem de cultu Lunæ exponit Banierius (La Mythologie & les Fables) T. I.

***) De quibus Groddeck differit in comm. de hymn. Hom. xl. Gott. 1786.

ratum est. Quidquid eius sit, testantur certe, quam veneranda videri apud veteres potuerit Luna, atque imagines non sine spiritu efformatas poetico, & ad grauisimos in lectorum animis sensus excitandos aptissimas exhibent. Summa cum maiestate incedentem adspicimus Lunam curru vectam & siderum, quibus sese vbiq; stipatam videt, quasi ducem & reginam (ἀσφαίεχνη) omnia & splendoris dignitate & modestiæ gratia longe superantem a). Et est sane, nisi vehementer fallor, quod nos ab illis temporibus remotissimos in hanc sententiam adducere possit, veteres poetas ideas de luna concipere longe grauiore, easque in aliis per carmina excitare potuisse & vero debuisse, quam nostri, qui per lunam plerumque nihil aliud designant, quam fidus, cuius adspæctus laetos & suaues sensus in nobis excitet, ex quibus variae oriri possint cogitationes, quibus suauiter moueamur ac deliniamur. At si cogites tibi vatem, qui lunæ adspæctu Deam templis cultam b) videre putet, quique eius splendore benigno motus, imo abreptus, in huius numinis sibi propitii ac terras has benignæ collustrantis laudes erumpat, eum profecto spiritu quasi diuino afflatus longe maiora, longeque suauiora prolaturum esse credes, quam qui eiusmodi opinionibus, licet falsis aut

mere

a) Ab Orpheo (Argon. 511) vocatur ἀσφαίεχνη. Ex uno eiusmodi epitheto saepius egregie perspici potest, qualem sibi animo effinxerint imaginem numinis poetae veteres. Lunam autem ἀσφαίεχνη longe sublimiorem præbere imaginem, quam quae ἀσφαίεχνη vocatur, non est, quod multis demonstramus.

b). Liv. XL, 2.

mere fictis, careat c). Neque vero quemquam fore pu-
to, qui mihi obiiciat, veterum poetas aequae ac nostros
eiusmodi vanas opiniones non fouisse. Hoc enim ne-
que negauerim, neque facit ad refutandam, quam pro-
tuli, sententiam. Poeta, hoc est, is, qui vere illo nomi-
ne dignus est, ubi semel ingenio suo indulgens campum,
in quo enagari possit, sibi videt apertum, ea tantum ex
multis, quae sibi suppeditata videt, in usus suos con-
uertere solet, quae apta videntur iis sensibus, quibus se
sentit abreptum. Non igitur considerat, quid sibi sta-
tuendum sit, ut homini physicorum non plane ignaro,
sed in poeticum, si ita loqui fas est, orbem delatus,
ita sibi omnia fingit, aut ficta iam accipit, ut ingenio
suo maxime accommodata esse ipsique arridere prae a-
liis videntur. At dicat aliquis: quid igitur impedit,
quo minus & nostri poetae eodem modo in his versari &
variis, de rebus externis, opinionibus fusque deque ha-
bitis, non hominis sed poetae solius partes agere pos-
sint? Verum enim vero hoc ipsum est, quod demon-
stratum dare volebamus, poetae recentiori, si adhibere
ea, quae narrat fabula, velit, omnia ista non adeo viuis
ob oculos versari coloribus, quam veteri, quoniam ab

e). Idem fere sentit Schiller, ubi de sole, olim Apolline, ca-
nit in praclarissimo illo: *die Götter Griechenlands* (Tetisch.
Merk. März, 1788.) quo carmine, quomodo poeta noster
in temeritatis & impietatis reprehensionem apud Stolber-
gium, alias philosophi alias poetae partes esse, tum qui-
dem non cogitantem, incurrere potuerit, equidem satis
mirari nunquam potui:

„Wo jetzt nur, wie unsre Weisen sagen,
„Seelenlos ein Feuerball sich dreht,
„Lenkte damahls seinen goldnen Wagen
„Helios in stiller Majestät.“

æetate nostra sunt alienissima. Poeta opinionibus popularium suorum confirmetur, iisque subleuatus in sublime feratur necesse est. Iam vero Graeciae aut Latii poetae istas opiniones lusibus poeticis accommodatissimas nisi ipsi fouebant, saltem plurimis hominibus videbant acceptas, atque sic confirmati imagines efformabant longe suauissimas. At quid nostri? Nimirum alio tempore nati aliis imbuti sumus opinionibus d). Quantacunque est voluptas, quam e legendis Homeri carminibus te percipere recte fateris, profecto longe maiori voluptate sese perfusos sentiebant illi, qui eosdem cultu diuino prosequerentur Deos, quos in Iliade aut Odyssea rebus humanis viderent sese immiscentes e). Quam igitur vim in nostris carminibus habere putemus eiusmodi imagines, eo tempore, quo recentiorum poetarum, ministeria Deorum vbique inepte inferentium, culpa factum est, ut ista ratio in iocum conuersa non nisi in ridicu-

d) Latius hæc res exposita est in disert. quam anno superiori de Herodoti historia ad carminis epici indolem propius accedente scripsit Bœttiger, V. Cl. cui, si quid valeo in his, quibus unice delector litteris, plurima me debere libenter profiteor, quippe qui institutione & consilio ita me auxit, adiuuit atque sustentauit, ut nunquam grati animi sensus sim depositurus.

e). Dum hæc seribo, in oculum incidunt verba viri docti in ephemeridibus literariis Ienens. ad librum Hezelii recentissimum: *Geist der Philosophie und Sprache der alten Welt* A. L. Z. n. 267. 1794. quæ facere non possum, quin hic adscribam: „ — es wäre zu untersuchen gewesen, warum jene Maschinerien in einem Zeitalter, wo die meisten nicht mehr so denken, nicht ästhetisch wirken; warum z. B. der nach dem legalsten Satisfactionssystem gebildete Gott der Messiade, dem ganzen Gedicht so vieles nimmt, und warum darin Adramelech mehr Eindruck macht, als alle in Bewegung gesetzte Thronengel.“

diculis adhiberi soleat carminibus f). Testes mihi sunt plurimi nostrorum hominum, qui, vbi eiusmodi figmenta aut veterum aut recentiorum carminibus legunt intexta, nihil se reperire testantur, quod adeo suaue sit, vt se admodum commotos aut delinitos sentiant g).

Sed vt a deuerticulo, quo deflexit oratio nostra, reuertamur, age iam, quæ fuerit poetarum ratio, Lunam in alia carmina data occasione recipiendi, dispiciamus. Accuratius autem in hanc rem inquirens triplicem potissimum rationem in ea re obseruatam a veteribus, investigasse mihi visus sum, quarum prior in eo consistit, quod in describenda pulchritudine Lunam præ aliis sæpe exemplum proponunt summum. Alteram in eo cerni putarim, quod Lunam eiusque splendorem in descriptionibus amatoriiis adhibere solebant. Tertio loco eam po-

B sue-

f). Ceterum quam frugifera sit, & variis aliis ingeniose inueniendis etiamnum accommodata Lunæ Deæ imago, ostendit lepidum sane, & multo sale conditum Langbeinii nostri carmen, quo Luna vetat edicto, ne in posterum quilibet impubis & ingenii virtutibus carens puer canticulis suis ipsam obtundere atque enecare audeat.

g). Assentientem habeo Schneiderum V. Cl. in libro: *Anmerkungen über den Anakreon*, (Leipz. 1770.) p. 23. „Fält es einem Leser von dem zärtlichsten (zartesten) und feinsten Gefühle schon schwer, die fremden Eindrücke der heidnischen Theologie und Moral anzunehmen, und so viele verschiedene Begriffe der Alten in ihrer Realität und Stärke zu denken, um ihre Schriften mit eben den Empfindungen, als sie dieselben schreiben, zu lesen; so wird er gewiss den neuern Dichtern einen schlechten Dank dafür wissen, daß sie sein Gedächtniß mit leeren Nahmen martern, und seine Einbildungskraft mit Winde schwängern wollen.“

suerim, qua Lunam in artibus magicis describendis commemoratam esse constat.

Magnum, quod inter poetam & scriptorem soluta oratione utentem, intercedit discrimen, nemo, credo, negabit esse hoc, quod hic narat, ille pingit. In pingendo autem non ultimo loco constat esse ponendas similitudines, quibus poeta ad sensus mirum in modum auctos clarius exprimendos uti solet. Iam vero ad pulchritudinem humanam exprimendam quid, quaeso, luna splendente aptius esse poterat? *) Neque etiam opus est, ut multis demonstretur, ad modestum habitum externum foemineo sexui tribui solitum, delarandum efficacissimam esse lunæ imaginem, cuius splendor, si cum solis radiis longe vehementioribus comparetur, est mitissimus. Nec vero caret luna gravitate aliqua, quam & in uniuersum omnia, quæ in sublimiore loco constituta sunt, habere solent. Denique, quod supra monuimus, huc quoque referendum est, in eiusmodi poetarum locis non sermonem esse de luna fidere, sed de Luna Dea curru vecta, & splendore benigno omnia superante. Hinc non mireris, Nonnum (Dionys. XLVIII, 319.) Mineruam curru vectam & omnes ipsam stipantes supereminentem Lunæ omnia sidera splendore & dignitate præcellenti adsimilasse. Eodem modo Musæus (v. 57) Herus puellæ pulchra forma incedentis imaginem exhibet.

*) In uniuersum obseruandum videtur, poetas veteres, quemcunque vellent describere aut iuuentute florentem aut forma decorum, aut dignitate conspicuum, fideri inprimis eum adsimilasse. Sic apud Apollon. Rhod. l. 240. Argonautæ multitudine circumfusi φαεινὸν ἀστὲρ ὡς μετίπρεπον, & Homerus (Il. VI. 401.) Astyanectem, puerum nitidum dicit ἀλίγκιον ἀστὲρ κελεύ, ad quem loc. vid. Koepfen.

bet. Nec minus apud Latinos poetas frequentatas esse eiusmodi imagines haud exiguo exemplorum numero facile demonstrari posset. *)

Iam vero ex his modo disputatis quis est, quin intelligat, ex ista poetarum ratione lunam carminibus intexendi fluere alteram, qua ubi de amore agunt, eius mentionem facere non intermittunt? Quid enim magis mouere potest omnes, quos non obtusos plane & hebetes finxit natura, quam aspectus, de quo dicere cum poeta Venusino possis:

„Nox erat, & cælo fulgebat luna sereno

Inter minora sidera. —“

Hinc scite ac ingeniose ab Horatio factum dixerim, quod amantes duos mutuum in amore constantiam sibi inuicem iurantes luna splendente hæc peragere iubet **); Quid, quod ipsa *Cytherea choros ducit Venus imminente Luna?* (Horat. Od. I. 4. 5.) Omnino vero nox serena non poterat non magnam habere auctoritatem, quod sidera tum omnium & dictorum & factorum testes esse viderentur. Denique non parum huic facere apparet varias de Luna narrationes mythicas. Nimirum ut omnibus fere veterum numinibus hoc accidit, ita & triplici huic Latonæ filiae varia adscribebantur, quæ, si vera sunt, non ita faciunt ad confirmandam ipsi alias concessam pudicitiae laudem. Sperare igitur poterant amantes, fore, ut Dea hæc, quæ non tantum modesti-

B 2

am

*) Siluam exemplorum congescit C. Barth. ad Claud. Nupt. Hon. & Mar. 245. Hic modo addere liceat Ouid. Her. XVIII, 71 seq. Hor. I. 12, 46.

***) Epod. XV. Centies hoc imitatam esse nostratium tur-
bam versuulorum pangendorum studiosam, quis nescit?

am vultu præ se ferret, sed & ipsa amori aliquando indulgere non dubitauerit, faustis ipsos prosequeretur ominibus, amorique huic faueret propitia. Quare Ouidius (Her. XVIII, 61. seq.) Leandrum de consueto per Hellespontum itinere narrantem ita inducit, vt ille se Lunam inuocasse eiusque fauorem ita sibi efflagitasse dicat, vt prouocarit ad *Latmia saxa*, quippe quæ Lunæ vna cum Endymione probe cognita esse sciret *).

Sed iam ad eam, quam vltimo loco nominauimus, Lunæ carminibus intexendæ rationem, properare liceat. Poetis, qui delectare alios student, ea imprimis, quæ animum vehementer moueant, esse adhibenda, non puto esse a veritate alienum. Nemo autem negabit, non exiguam vim in hominum animos habere potuisse, quæ de artibus magicis earumque sacerdotibus, veneficis istis, tradebantur. Quid igitur mirum, si nihil fere magis a poetis celebratum videmus atque decantatum, quam sacra ista magica, quorum descriptio eo maiorem tunc temporis in lectorum animos habere poterat vim, quo magis istius æui homines eiusmodi adhaerere solebant opinionibus? Quid mirum, si omnia, quæ huc pertinerent, arripiebant poetæ, imo, vbi commode id fieri posset, augebant, suisque exornabant? Atque hic sane omitti non poterat Luna, quæ ipsa istorum sacrorum præses & adiutrix putabatur. Nolo iam multus esse in enarandis iis, quæ ad varia Lunæ nomina eiusque varia officia inde deriuanda pertinent. Sufficiat monuisse, Lunam, Dianam, & Hecaten, siue vnum numen his nominibus insignitum intelligas, siue plura, præsidēs fuisse

*) Theocrit. X, 37. Ceterum non alienum ab hoc loco erit, inspicere, quæ habet C. Barth. ad Claud. l. 1. Zachariæ Calliergi observata in scholiis in Theocritum.

isse magarum & veneficarum habitas. Hæ igitur erant istæ veneficæ, quas horrendis suis artibus & veneficiis ad lunæ splendorem manes elicere, quas, cum Hecate administra ab inferis euocata, per sepulcreta, per tabida cadauera passis capillis nudisque pedibus incedere, quas lunam coelo deducere, quas horrida quæque patrare putabat superstitiosa antiquitas. Atque hæ erant istæ artes magicæ, quibus describendis horrorem lectoribus iniicere certatim studebant poetae veteres. Ingens est eorum locorum numerus, vbi magae Lunam aut Hecaten inuocant sacrorum præfidem *). Sed duo tantum hic addere liceat, quorum alter est e carmine Theocriteo, vbi Deae adiutrices a pharmaceutria inuocantur **). Alter locus est apud Horatium, a) vbi eodem fere modo venefica exclamat:

Nox & Diana, quæ silentium regis,
Arcana cum fiunt sacra,

Nunc, nunc adeste:

Lunae igitur splendorem cantu identidem repetito sibi expetit pharmaceutria Theocritea; ad lunae splendorem Medea domu egreditur, curru draconibus vecto per aërem iter factura; ad lunae denique splendorem pleaque ad sacra hæc pertinentia fieri solebant. Sic enim Ouidius (Met. VII, 268.) in Medeæ artibus describen-

B 3 die

*) De Hecate magarum patrona vid. Tiedemann. disp. de artibus magicis (Marb. 1787.) p. 45 & 59.

***) Id. II. Adde Dorvill. ad Char. p. 428 ed. Lips.

a) Epod. V. Nobilissima, præter ea, quorum mentio iam facta est, loca sunt Apoll. IV, 51. Lucan. VI, 543, seq. Horat. Serm. I, 8. Virg. Ecl. VIII.

dis *exceptas Luna pernocte pruinas* commemorat. — Iam si quis quaerat, quomodo cohaereat Luna cum artibus magicis, aut quomodo veteres in eas peruenisse videantur opiniones, equidem sic statuere ausim. Est in lunæ fulgentis adspectu aliquid, quod si noctem subobscuram, vnaque totam terram alto quasi somno sepultam, altumque rerum silentium addideris, quod grauitatem quandam spiret, & parum abest, quin dicam, sacrum quendam incutiat horrorem b). Addas & Thesaliae, veneficarum nutricis, aut Italiae regiones montanas, quas luna collustratas miram grauitatis speciem induere facile intelliges. Denique Luna Dea in sublimi loco constituta sola erat testis eorum, quae noctu fierent. Quid mirum igitur, si ipsa praeses illorum sacrorum & adiutrix inuocabatur? Atque hac quidem ratione factum est, vt poetae ipsi, istius imaginis grauitatem sentientes, haberent, quo mirifice ornarent carmina.

Iam filo huius disquisitionis ad finem perducto ne quis putet, in his tribus modo dictis poetarum veterum lunam carminibus celebrandi rationibus, aut me, aut, quorum patrociniū in me suscipere ausus sum, poetas sibi repugnare, ita, vt imagines istae inter se coniungi nequeant, paucis monendum videtur, inter priorem rationem, qua lunam ut exemplar propositam vidimus pulchritudinis summum, & alteram, rebus amatoriis eam immiscendi, repugnantiam esse nullam: tertiam

*) Testis sit Buergeri, lugentibus Musis nuper defuncti, Eleonora, carmen notissimum. Sane non ad lunæ splendorem omnia, quae narrat, ad percellendum lectoris animum facta, peragi fecisset poeta, si quis alius in his exercitatus, nisi maiorem vim carmini sic accessuram sperasset.

autem, artibus eam præficiendi magicis, cum prioribus ita facile posse coniungi, iisque accommodari, ut lunam splendentem non tantum pulchram videri & amantibus suaues parere sensus, sed etiam gravitatem, quam supra diximus, præ se ferre posse cogitemus. Nam nemo, credo, negabit, quod in ipsa positum esse videtur rerum natura, ut cum pulchritudine gravitas potest esse coniuncta, ita etiam sensus ex pulchri aspectu orientes non repugnare iis, quos rei gravitate commoti concipere solemus.

Iam vero excusis omnibus, quibus cum maxime celebratam vidimus lunam, veterum poetarum locis, apparet quidem, non raro egregias a luna petitas imagines carminibus suis intexuisse veteres; at si comparationem inter eorum & recentiorum carmina instituas, non potest non statim in oculos tibi incurrere, longe frequentiores existare eiusmodi imagines in recentiorum operibus, quam apud illos, quos Græcia aut Latium tulit, poetas. Atque hic nemo mihi obiiciat, nos, ad quorum tempora exiguus tantum carminum illorum pervenerit numerus, hac de re iudicare non posse; gaudemus enim integris quibusdam antiquitatis doctæ monumentis, in quibus perraro lunæ mentionem factam esse reperias. Quæ res non potest non primo quidem obtutu mira videri, imprimis cum, quod supra monuimus, veteres poetas & mythis maiorum suorum & superstitiona popularium suorum opinione haud parum adiuti & ad canendum excitati fuisse videantur. Quæ cum ita sint, haud scio; an operæ pretium facturus sim, si causas indagare, & cur recentiores ea in re palmam veteribus præripuisse reperiantur, paucis exponere audeam.

Ac

2 1301 1301 1301 1301 1301 1301 1301 1301 1301

Ac primum quidem constat inter omnes, seculo XVI. & XVII. astrologiae errores & praestigias penitus infedissee hominum animis *) Lunæ; autem ab astrologis vim tributam esse eximiam, nemo est, qui ignoret. Hinc in carmina *epurina* (Madrigaux & Sonnets) poetarum illius aevi, imprimis Franco — Gallorum, Lunæ auxiliatricis & auerruncæ inuocandæ peruenit consuetudo. Sed hanc causam, quæ & veteribus non deerat, quippe quibus artes magicas simili modo ad Lunam carminibus intexendam ansam præbuisse constat, & quæ ne in nostra quidem cadit tempora, non primariam esse dixerim. Nimirum, vt Herderus, Vir Summus, scite monuit, **) hoc e situ terrarum, quas incolimus, ad septentrionalem plagam spectantium, & in contractis diei brumalis spatiis noctu maiorem e luna fructum percipientium, optime derivari potest. Hinc amant poetae [regionum septentrionalium illas imagines a):

— — — as how the moon
Rising in clouded majesty at length
Apparent Queen, unveil'd her peerless light,
And 'oer the dark her silver mantle threw.

Simile modo feliciter lunae imaginem adhibuit poeta elegantissimus, vbi de iuvene amore puellae deperiente canit: b).

Till

*) Tiedemann. *diff. laud. p. 115.* „ Superstitiones astrologicae ad Ludouici usque XIV. Galliarum regis aetatem tenuere, qui astrologo adhuc utebatur, cuius consilio impulsus parum abfuit, quin instituto collegio astrologorum totius sese Europæ risui exponeret. “

**) in praefatione ad collectionem illam carminum; *Volkslieder.*

a) Milton's *Paradise Lost*, IV, 314. L

b) Thomson's *Spring*, 1031 L

ie malum avertentis.

— — — Till the moon'
 Peeps thro' the chambers of the fleecy east,
 Enlightened by degrees, and in her train
 Leads on the gentle hours; then forth he walks
Beneath the trembling languish of her beam,
 With softened soul, and woos the bird of eye,
 To mingle woes with his. —

Maxime vero hoc apparet ex Ossiani carminibus, in quibus imagines & comparationes a luna ductas mirum in modum frequentatas esse reperias, cum contra in Homero & Virgilio vix tria vel quatuor loca, ubi comparatio vel imago a luna petita sit, inuenias. Possem hic longius euagari, nisi arctioribus hoc scribendi genus circumscriptum esset finibus. Vnum hoc monere liceat, mirum illud linguae vernaculae ingenium, quo Luna mascula fit, Sol femina, nostris temporibus ad lusus poeticos satis ingeniose inueniendos ansam poetis praeuisse. Verum ne hoc quidem, quod dixi, linguae Germanicae ingenium adeo nouum videri potest iis, qui locum Orphei inspexerint (Hymn. VIII, 4.) ubi *σελήνη* dicitur *Ἰηλὺς τε καὶ Ἴρις*. Nihil dicam de Deo Luno, quem Spartiani auctoritate permoti multi virorum doctorum, aliis tamen dissentientibus, primum Asiae, posterioribus temporibus Romanorum adnumerant numinibus; neque hic meum est, tantas componere lites a).


C

in

a) Copiosior de his disputatio est Blondii, Francogalli, in comment. de Deo Luno. (par Mr. l'Abbé le Blond; Mem. de l'Acad. des Inscrip. T. XLII.) Vid. & Schwarzii V. Cl. comm. in qua emendantur quaedam loca mythologiae Seybold. de templis vet. Rom. & de Deo Luno. Ceterum nota sunt decantata illa Blumaueri carmina in Lunam & Solem, (Ged. von Blumauer. Vol. I. 100.) quibus quam aptus sit ille linguae vernaculae vsus ad carmina facetiis & leporibus condienda, egregie ostendit poeta ingeniosissimus.

Atque ex his quidem omnibus satis, credo, apparebit, eandem fere & apud veteres & apud recentiores lunam carminibus celebrandi obtinuisse rationem. Etenim lunae imaginem in pulchritudine aut rebus amatoriis describendis ac depingendis saepissime a nostratibus esse adhibitam, quis est, qui nesciat? Magnam porro astrologiae erroribus intercedere similitudinem cum istis veneficarum praestigiis nemo negabit. Quod autem ad ultimam disquisitionis partem attinet, longe frequentiore esse lunae imaginem in recentiorum quam veterum curminibus, id tantum abest, ut longiore indigeat disputatione, ut nemini, qui vel oculo festinante nostrorum hominum opera poetica, & canticulorum collectiones inspexerit satis numerosas, dubium videri vlllo modo possit.

Restat, ut quid haec qualiacunque praefandi nobis praebuerit occasionem, paucis exponamus. Instat tempus, quo examine publico, quale ex auctoritate Amplissimi huius urbis Senatus in posterum semper hoc autumnali tempore instituetur, alumnorum nostrorum vires tentandae, iique iuuenum, qui studio bonarum literarum indefesso, morumque integritate praeter aliis emineant, atque patronorum favore, praceptorumque amore dignos sese reddiderint, praemiis ex legato b. Sculzii hunc in usum destinatis, publice sunt ornandi. Specimina igitur edent nostri, non tantum quid, praeter cognitionem religionis nostrae, in litteris Graeciae veteris aut Latii, & in scientiis, quae quidem in subsellia cadant scholastica, praestiterint addiscendis, sed iuniores quoque in declamando recitandoue, quid valeant, ostendere gestiunt. Quibus scholae nostrae exercitationibus ut Amplissimus huius urbis Senatus, Reuerendi rerum sacrarum Antistites, Clarissimi Doctissimique Praeceptores & Collegae, omnes denique, qui litteris humanitatis & rei nostrae bene cupiunt, Musarum amici, interesse ne grauentur, ea, qua par est, obseruantia rogamus.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Ant. Graeß